



LECTORI BENEVOLO S.

**S**extâ vice prodit in publicum hæc Linguae Hebræe Institutio, qua Fundamenta Punctationis ex intimis Linguae principiis eruta indicantur, ut structura verborum ac sermonis universi exinde procedat. Primum specimen dedi anno 1654. qui Professionis Hebræe undecimus erat, quando prima duntaxat lineamenta duxi, mutationisque causas monstravi in varia punctatione principes, ex indole vocalium & Syllabarum ratione apud Hebræos essentiali. Sed quod brevitatis aliquid obscuritatis haberet, vice alterâ anno 1658. eadem magis aucta & elaborata reddidi; quamvis ne sic quidem sublata fuerit omnis obscuritas, neque indicata anomalia omnes, quæ hinc inde in Sacro textu occurrunt. Sufficiebant ista tamen eoque, ut discipulos & ad analysin, & ad genesin, siue compositionem, quam vocant, satis haberem expeditos, quibus aliquis in Sanctam Linguam amor, aliquod studium. Ego verò, quæcunque ulteriore usu observabam, adscripsi meo Codici, exempla quoque collegi ipsius Scripturæ tam analogæ, quàm anomala: atque ea tandem congeffi & digessi in istam, quâ nunc est, formam, conatus & explicatiùs loqui, & certius præterea, quæ a norma declinant, exempla singularia, revocare ad analogiam, & origines ac vias declinationis facere manifestas; ut non nisi paucissima neglecta putem, quæ punctationem attinent, quorum ratio non possit levi negotio hinc deduci. Absolvi istud operis jam ante annos

nos